



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Admirandvm vindictae divinae theatrvm

Tympe, Matthäus

Monasterii Westphaliae, 1611

A.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51314](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51314)

DE ADULTERIS IVSTO DEI IUDICIO PUNITIS.



Ir Leuita iniuriam in vxore pas-
sus, vimque eius indignitatis se-
cum reputans (mulier enim He-
bræa erat, & ex stirpe Iudæ) tan-
tisq; cõtumelijs attonitus (quem
admodum diuina iudicum scriptura denun-
ciat) vxoris corpus in partes diuisum ad om-
nes Israeliticas tribus misit, vt iniuria non ad
se solum, sed ad omnes æquè pertinere crede-
retur; vtq; vel vicem eius dolentes, vindices
se præberent; vel negligentes, eius sceleris
pudore suffunderentur. Nuncijs rem, vt gesta
erat, enarrarunt: illi autem qui visu audituq;
id cognouissent, in hæc verba proruperunt:
Nunquam tale quid, ex quo filij Israel ex A-
gypto ascenderunt, accidisse. Concitata igitur
sunt vniuersæ tribus Israel, omnesq; quasi
id peculiariter passi essent, in vnum coiere.
In summa, debellati sunt qui hoc scelus per-
petrauerant: non enim ad generis cõiunctio-
nem qui in bellum coiere, sed ad facinus re-
spexere. Rectè autem omnes Iudæi quasi ad
incendium excitatum ad scelus hoc vindican-
dum concurrebant, non solum vt improbita-
tis odium sancirent, sed etiam ne cuncti eius
vindicta inuoluerentur. Præclarè enim diui-
nis legibus erat statutum vt violatam religio-
nem

S. Athan.
ep. ad or-
thodoxos
de clade A-
lexandriæ
ecclesiæ.
Ind. 19. &
20.

Vxor Leui-
tæ a Gabao-
nitis petu-
lanter vexa-
ta perit.
Vulgatur
scelus.

Vniuersa
gens Iudæo-
rũ corripit
arma cõtra
Gabaoni-
tas & Ben-
iaminitas
(qui eorũ
patrociniũ
susceperat)
& impro-
borum exi-
tio reatum
expiat.

A nem

Deut. 13.
Auferes
malum de
medio tui.

Vniuersus
populus
tantæ scedi
tatis deli-
gione ex-
soluitur.

2.

Godf. Vi-
terb. in
Chron.

Delr. disq.
mag lib. 4.

c. 4. q. 4. f. 3.

Adulteriū
occulte cō-
mittentes
detegūtur
& puniun-
eur.

Vxor lubri-
cā fide, con-
scientia
nulla.

nem expiarent, ne sceleris cōtagione astricti tenerentur, si flagitium publicè non vindicaret. Quo præcepto institutus Dauid se de multa nocte vigilare solitum ait, vt de ciuitate Domini tolleret omnes qui operantur iniquitatem, gnarus nimirū nullum sacrificium Deo gratius cōtingere prauorum hominum supplicio, quo resp. religione exsoluitur, coneretur improbitas, innocentia confirmatur.

Imperator Ottho III. vxorem habuit Mariam filiam Regis Aragoniæ, sceminam sterilem & impudicam. Illa iuuenem muliebri habitu secum circumducebat quo abutebatur dū cubiculariæ Domicellæ officium gereret. Hoc cum pio Imperatori innotuisset, multi principibus astantibus, vestibus iuuenis spoliatur atque pro scemina masculus deprehenditur, vnde iudicio damnatus viuus exuritur. Cum autem imperatrix amicorum intercessione veniam impetrasset, in Italia circa Mutinam Comitem quendam elegantissimæ formæ, sed virum optimum in sui amore pellicere conata est. Qui tale nefas recusauit, dicens se omnino non velle thorum Domini sui Imperatoris maculare. Quapropter indignata fuit contra eum regina, & accusabat eum corā Imperatore (vt Iosephus olim vxor Putipharis) quomodo ipsam violenter voluisset oppressisse, & hanc accusationem falsis probauit testibus, (vt noua Phædra Comitem Mutinensem in amplexus trahere conata, repulsam vertit in furorē, & odio eius

ADULTERII.

§

quem impotenter amarat inflāmata crimen suū in innocentem regessit). Cōmotus Imperator ipsum iussit decollari, nō obstante quacunq; contradictione. Tempore vero decollationis vocavit ad se Comes vxorem suam legitimā, mulierem prudentissimā, & (quod rarū) fortem, dicens: Ecce, vxor mea p̄dilecta, innocens sum huius criminis (vxori inquā conatus Augustę, responsum suum, calumnias illius, periculum suū aperit decretumq; sibi dicit mille mortes oppetere potius acerbissimas, quam tantum imperatoris sui de incontinentia & perfidia Augustę natū, dedecus in lucem proferat) sed modo tolle caput meum inquit, & diligenter serua, quia coram Rege debet facere meam expurgationem in igne, & sic meam corā omnibus declarare innocentiam, quia nunquā contraxi cum aliqua adulterij maculam (illam ait se si quid de ipsa bene vnquā meruerit, obtestari, virili constantiā, sexus & coniugij oblita, sententiam quę impendebat mortis ignominiosę vt perferret: se necato, cōiugis animū & memoriam resumeret, & animo imperterritito nomen mariti ab ignominia liberaret. Nō diu post Comes culpā Augustę suo capite luit) vxor cū eiulatu caput sustulit & diligēter custodiuit. Facto vero aliquo interuallo tēporis Imp. Ottho cōstituit (cōuentū imperialē) diē iudiciariā in qua vellet reddere vnicuiq; iustitiā. Occurrebat & vxor Comit̄ implorādo iustitiā Imp. dicens:

Cedit honor, p̄prius
amori Cæsaris quia
honorem
Cæsaris
vitæ suæ
p̄ponit.

A 2 Sere-

D E P O E N I S

4
 Serenissime princeps, quid illi est faciendum
 qui iniuste condemnat & occidit proximum
 suum? Cui imperator respondit: talis reus est
 mortis, cui vidua. Tu es ille qui iniuste meum
 de medio sustulisti & occidisti maritum. Or-
 tho admirabundus: at tu quonam pacto, in-
 quit, viri tui quam iactus innocentiam pro-
 babis? illa inquit: Ecce caput innocenter occi-
 sum, quod probabo si in igne maneat illesum
 & ego similiter maneo illæsa. Ad quod Imp-
 rator stupefactus expurgationem viduæ ad-
 misit, copiosum ignem parari fecit, in quo
 vidua cum capite sui coniugis illæsa perman-
 sit. Exterruit miraculum imperatorem, adeo
 ut se quidem dignum supplicij profiteretur
 sed moram posceret aliquam subeundi, vidi-
 multum importunis precibus instabat, & mo-
 tem Imperatricis postulabat. Regina, in quo
 supplicium solum posco cuius nefaria calum-
 nia me marito, te fidissimo milite, remp. citi-
 strenuo spoliavit. Videns vero Imperator
 quod via iuris mortem declinare vxor sua non
 posset, inducias octodecim dierum petijt. In-
 terim Imperator causam Comitis occisi dili-
 genter perscrutabatur, & Comitem innocen-
 tem, Imperatricem ream mortis inuenit. Ideo
 ipsam (quæ Veneris igne male arserat) carni-
 cis manu in rogam coniectam iustis flammis
 absumi iussit, & vxorem Comitis multis mu-
 neribus ditavit, atque territorium eiusdem
 Comitis quatuor validissimis castris in He-

Imperato-
rem ad ta-
lionis pœ-
nam vo-
cat.

Falso accu-
sati inno-
centia post
mortem
iniuste in-
flictam sig-
no mira-
culoso de-
claratur.

tru
Go
sten
tit
99
gœ
the
& a
can
pur
ber
ma
De
eni
re,
mo
Ro
cui
D
A
lar
ui
pe
re
Et
at
tru

truria ampliauit. lib. 2. Chron. Imperatorum.
 Gotscalcus Holenser. 23 partis hyem. Lyco-
 stenes in Theatro mundi. Antoninus parte 2.
 tit. 6. c. 3. §. 2. & c. Baronius vero Anno Christi
 998. ex Gotefrido Viterbiensi qui hanc tra-
 gœdiam carmine cecinit, & Iacobus Strada in
 thesauro imp. Item Krantzius li. 4. Saxo, c. 26.
 & alij dicunt post Comitum mortem vxorem
 candenti ferro (lamina) mariti innocentiam
 purgasse cum allatum iussu Orthonis ferrum
 bene ignitum sine noxa cunctis intuentibus
 manu prehendit & tenuit. forte duobus signis
 Deus ostendit imperatoris graue erratum, ei
 enim durum erat atq; difficile illud agnosce-
 re, & vxoris propriæ infamiâ prodere, eamq;
 morti dedere.

Contrectat
 ferrum
 candens
 iniusta
 quia iusta,
 stringit vt
 flores igni-
 tum me-
 tallum.

Anno Christi 659. Longobardorum Rex
 Rodoaldus occiditur à Longobardo homine
 cuius vxorem adulterio polluerat.

*DE AMBITIOSIS QUI GRAVIS-
 simas iniustissimo Deo pœnas
 persoluerunt.*

Accidit sæpe, vt æstuans semper maioris
 gloriæ cupidine animus, quanta Dei
 largitate consecutus fuerit obliuiscens ac par-
 uipendens, atque a deo immemor vt iuges re-
 pendat Deo gratias, cum infelix altiora suspi-
 ret, spiret atq; anhelet ad summa, ipse sibi ne-
 stat laqueos, gladioq; in suâ necem exacuat,
 atq; patratorum scelerum, à se incipiens, pœ-
 nas

I.
 Baron.
 tom. 5. an.
 nal. anno
 Chr. 395.
 Vide ex-
 empl. 2. in
 iustitiæ.

nas exigit. Huius rei exemplū præbuit Ruffinus, qui Elusæ in Aquitania humili loco natus, Constantinopolim profectus adeo se in amicitiam insinuauit Theodosij imp. vt summus consecutus fuerit magistratus; vnde eo peruenit arrogantia vt generū habere conaretur imperatorem, imo ea via imperium sibi sumere pertentaret. Tales autē tantosq; cōsensus sublimiores honoris gradus infantiū plurimorū cædibus infecit, & rapinis dehonestauit. Fuit enim, vt alia silētio sepeliā, auctor ac impulsor vt Theodosius imp. præter consuetudinem moremq; suū, aduersus Thessalonicenses crudelissimè, nullo habito delectu fontium & innocentium, desæuir et. Sed haud minor inerat homini rapacitas atque immanitas, biga namque ista deprauatus animus in sui perniciē trahebatur in præceps, cū imperium sibi rapere, Arcadio imp. necē meditatur inferre, barbaros occultè sollicitare in vtriusque (orientalis & occidentalis) imperij cladē cœpit. Dū vero Arcadius ipso ingressu in imperiū nihil antiquius habet quā fidem catholicā sartam tectam seruare, atque legibus cōmunire, dumq; aduersus impietatē solerti studio leges armat, statim Ruffinus execrādi sceleris architectus miserrimè trucidatur, atque ludibrio totius populi exponitur. Nā tempus adesse ratus quo acclamaretur à militibus imperator, ex insperato appetitur infelix gladio militis, vulnusq; lethale ipsi infertur, moxq;

alij

alijs atque alijs confoditur mille vindicibus
gladijs, mille cruentatur ictibus, discerpitur
ac secatur in frustra, atque adeo totius exerci-
tus efferata rabies in ipsum solum conuersa
conceptum ante diuque retentum in stoma-
cho euomit repente odium. At nec caruit
digno triumpho tanta de expugnata prodi-
tione victoria. Membra siquidem Ruffini in-
ter milites partita singula singulis distributa
pro trophæis cum pompa ab exercitu refere-
bantur in urbem (Cōstantinopolim): emine-
bat vero inter ea caput impositum pilo. Sed
& iucundum afflicto populo spectaculū Ruf-
fini dextra præbuit, quæ à milite secta, cum
ex ipsa sectione nerui qui mouent articulos
prominerent, iisdem vel attractis, vel remis-
sis, manus ipsa claudi poterat & aperiri, lu-
dulque militi facta est, conuersaque in ludi-
brium Ruffini rapacitas, cum miles eandem
pansam tendendo, mendicare Ruffinum obo-
lum dictitaret, oblatoque palmæ obolo, tra-
ctis mox neruis, attractis strictisque digi-
tis eum à Ruffino auide acceptum significa-
ret.

Hunc ca-
sum doctis
cecinit ver-
sibus Clau-
dianus.

Pœna iu-
sta iniquis-
simi pro-
ditoris.

S. Hieron.
ep. 3.
Zosim^o li. 5.
Marcelli
nus in
Chronico.

Vere terribilis Deus in consilijs super fili-
os hominū. Qui innocentiū sanguinem spar-
serat, & in Thessalonicentium necem exerci-
tum in circum immiserat ipse ab exercitu
circundatus militū omnium confossus est ar-
mis: qui insatiabili cupidine auri prouincia-
rum exhauserat facultates obolos mendicat

Psal. 65.

1.

2.

3. mortuus: ambiens iniustam purpuram proprio statim sanguine apparuit purpuratus: de-
 4. niq; super omnes exaltatum caput diademate exornandum cæteris omnibus eminentius in urbem euehitur super pilum. Ethnicus Claudianus ex huiusmodi Ruffini supplicio didicit esse superis prouidentiam, vnde ait:

— iam non ad culmina rerum

Baron. to. 7
 anal. an.
 Chr. 555. *iniustos creuisse queror; Tolluntur in altum, vt lapsu grauiore ruant, &c.*

2. Vigilius Papa iusto Dei iudicio in insula (Sicilia) defunctus est, confectus ærumnis ex morbo, quia coegerat S. prædecessorem suum Siluerium deportatum in insulam (Palmariam) illic animam exhalare. Qui enim, gloriæ turbine agitato, malis artibus ad pontificatum sibi parauit ascensum, ipsum adeptus, immensis semper agitato fluctibus, inuisus imprimis imperatori (Iustiniano) cuius gratiam tot studijs demerere conatus fuit, Orientalibus haud gratus Episcopis, aduersus quos diu multumq; certauit, sed & occidentalibus redditus execrabilis, quod in sententia nõ stetit: tandem cum è procellis in portum sibi visus est appulisse, pedemq; alterum in urbem (Romam) à qua diu abfuerat propemodum intulisset, in via mori cogitur immensis confectus ex calculi morbo doloribus.

Vigilius dū
 est Pontifex
 vitæ
 periodus.

3. Anno Christi 411. Constantinus tyrannus captus est & occisus, cuius filium Constantem Gerontius interemerat. Expende autem, ait

Cæsar

Cæsar Baronius, quàm terribilis sit Deus in consilijs super filios hominum. Nam Constantinus, qui constantem filium iam professione monachum, vt crearet Cæsarem, eduxit Monasterio, ipse ne occideretur compulsus est fugere ad Ecclesiam & initiari presbyteratu. Et male vterq; perijt qui Deum posthabuerunt imperio.

Brunichildem Reginam Francorum Clotharius Rex ignobiliter camelo impositam hostibus gyrando monstravit postq; indomitum equorú caudis irretitam miserabiliter vita priuauit. Nonnulli eã vnus indomiti equi caudę alligatam tradunt, sicq; miserando modo raptatam mori calcibus equi coactam. Iubet, ait Aimoinus, immitem exhiberi equum, crinesq; miserimæ Reginæ cum brachijs caudę equi alligari, ac demũ ad cursum concitari. Sicque primo impetu currentis equi calcibus cerebrum dispersum, reliqua vero membra per aspera quæq; sentibus, rupibusq; protracta loca dissipata sunt. Hunc consecuta est finem scemina suorum propinquorum cadibus per multa añorum spatia exatiata, decem namque Reges eius opera & consilio fuerunt extincti. Tanta illius scelera tolerauit Deus, vsq; dum in seruos suos non est furens scemina debacchata. Has ipsa messuit fruges ex mundanæ prudentiæ semine, quæ nihil non tentauit facinoris vt regnaret, possetq; mori Regina, talemq; triumphum meruit ex mul-

A 5 triplici

4.
Ionas in
vita S. Co
lumb. c. 28

li. 4. c. 1.

Crudelitas
punitur.

tiplici cæde coniunctorum, ac tali morte obire diem illa quæ Dei seruos hostiliter est persecuta.

f.
In Chron.
ordinis Fr.
prædicat.
in comm.
fol. 199.

Quam effi-
cax sit præ-
sentia cor-
poris Do-
minici.

Circa annum dom. 1370. accidit Neapoli in cõuentu S. Dominici (inquit F. Anton. Senensis) vt refectionis locum ingrederetur cui erat illius cura cõmissa, qui mox in ingressu videt illum fratribus circumquaq; refertum & illi cappas habebant indutas & tanquã hora foret collationis faciendę & illã expectarent, sedebant. Accurrit ille sine mora ad Priorem & illud ei aperit. Prior fratrem delirum putat vel somnia narrantem, attamen dum vrgetur, vadit, videt, & credit, & ille quoq; turbatur & rē mox confert cū monasterij grauioribus Patribus & prudentioribus, de quorũ cõsilio sacras vestes assumit, & sacrum Christi corpus deferendo toto cõuentu comitante se illuc cõfert, & ad illũ sermone directo qui honoratiore loco sedebat, eos adiurat vt aperiant quinã sint & ad quod venerint, & quid velint: & vt ad hæc respõdeant illis præcipit in nomine illius Domini quem gestabat in manibus. vt autem quando Prior corã illis comparuit cū venerabili sacramento illi omnes assurrexerunt quidẽ & capita inclinarunt, captitia tamen taliter demittentes vt eum minime viderent, & hoc facto iterũ sederunt: ita iussi à Priore vt respõderent ad proposita, inclinarunt. Tãdem qui inter eos videbatur præcipuus respondens dixit: quod ipsi omnes fuerant eiusdem ordinis
reli-

religiosi & pro maiori parte Magistri, Priores, Superiores, Baccalaurei, Lectores, & alij officijs donati, & quod omnes damnationis sententiam acceperant, quonia ambitio multa, superbia, inuidia, & alia huius generis vitia eos fecerant damnatione dignos. Sed quod diuina permittente clementia iussi fuerat illuc venire, vt eos & vniuersos ordinis cultores comonefacerent vt suæ vocationi facerent factis. Nam illi quia minime id præstiterant, omnes damnati erant, & flammis cremabantur æternis. Et in signum huius cuncti in eos aspicerent. Et hoc dicto omnes illi cappas aperuerunt, & singuli eorum flâmis circumcincti & incensi visi fuere, post visio euauit, &c.

Vah; quàm timenda ambitio, quæ tanto cum dâno Sanctorû etiam in cœtus se ingerit.

6.

Delrius disq. mag. lib. 6. c. 2. se. 3. q. 3. refert visionem similem ex litteris fidei dignissimæ sacerdotis an. 1599. Neapoli perscriptis; Cum quadam die sub noctem Fr. Tiberius (in Salernitano monasterio) inuiseret fratres, an in lecto de more accubuerint, transiit per triclinium, vbi vidit pleraq; lumina, & vocem audiuit hominis de superiore loco legentis, vidit plerosque ministrantes, tandem qui superioris locum tenebat facto super mensam signo sic locutus est. Ambitio & crapula duxerunt nos ad tartara. Et nunc etiam super-

est velut cicatrix in mensa, perinde ac si igne tacta esset.

DE APOSTATIS SEV CASTRO-
rum Ecclesie & Christiana fidei deser-
toribus qui atrociss. penas ex-
soluerunt.

I.

Baron. to.
2. annal.
an. Chr. 171

Vix dici
potest quã
tam cladẽ
apostatae
quibusque
sæculis in
Christianã
religionẽ
intulerint.

Lvcianus fertur interiisse à canibus cum
Arabem suam contra veritatem exercuis-
set: Multa aduersus Christianam religionem
impia scribens. Furoris sui & in hac vita ius-
tas pœnas dedit, & in futura æterni ignis cum
Satana hæreditatem cernet, ait Suidas. Eius-
modi certe epitaphio decuit impium aposta-
tam cum impietate sua pariter sepelisse. Quia
enim idem Suidas asserit ipsum fuisse Antio-
chię concionatorem, ideo complures eum fu-
isse religione Christianum existimant, sed à
fide apostatam in eandem esse furiose grassa-
tum. Certe ex eius scriptis cognoscitur ipsum
res Christianas apprime calluisse.

2.

Miserabi-
lis strages
ac tristitia fu-
nera abne-
gãtium fi-
dem tem-
pore perse-
cutionis
Decij. An.
Chr. 254.
Apostasia à
fide puni-
tur.

S. Cyprianus ser. 5. de lapsis: Ecce, ait, eo-
rum qui negauerunt (à pietate præuaricati
fuerunt) quæ supplicia conspicimus? quos eo-
rum tristes exitus flemus? Nec hic esse sine
pœna possunt quamuis necdum dies venerit
pœnæ. Plectuntur interim quidam quo ca-
teri corrigantur, exempla sunt omnium tor-
menta paucorum. Vnus ex his qui sponte
Capitolium negaturus ascendit postquam
Christum negauit obmutuit. Pœna inde cœ-
pit vnde cœpit & crimen, vt nec rogare iam
pos-

posset qui verba ad precandam misericordiam non haberet.

Alia in balneis constituta (hoc enim crimine eius & malis deerat, vt & ad balneas statim pergeret quæ lauacri vitalis gratiam perdidisset) illic ab immundo spiritui immunda correpta cecidit, lanianit dentibus linguam, qua fuerat vel pasta impiè, vel loquuta: postquam sceleratus cibus sumptus est in perniciem suam rabies oris armata est: ipsa sui carnifex existit, nec diu superesse postmodum potuit doloribus ventris & viscerum cruciata defecit. Præsente ac teste me ipso accipite quid euenerit. Parentes forte fugientes dum trepidi minus sibi consulunt, sub nutricis alimento paruulam filiam reliquerunt; relictam nutrix detulit ad magistratus. illi ei apud idolum, quo populus confluabat, quod carnem necdum posset edere per ætatem panem mero mixtum, quod tamen & ipsum de immolatione pereuntium supererat, tradiderunt. Recepit filiam postmodum mater. Sed facinus puella commissum tam loqui & indicare non potuit quàm nec intelligere prius potuit nec arcere. ignoratione igitur obreptum est vt sacrificantibus nobis eam secum mater inferret. Sed cum puella mixta cum sanctis, precis nostræ & orationis impatiens, nunc ploratu concuti, nunc mentis æstu cœpit fluctuabunda iactari, &, velut tortore cogente, quibus poterat indicijs conscientiam facti in sum-

3.

4.

Cyprianus
sacrificauit.

sum-

simplicibus adhuc annis rudis anima fatebatur. ubi vero solemnibus adimpletis calicem diaconus offerre presentibus coepit, & accipientibus caeteris locus eius aduenit, facie suam paruula instinctu diuinae voluntatis auertere, os labijs obturantibus premere, calicem recusare. Perstitit tamen diaconus & reluctanti licet de Sacramento calicis infudit. Tunc sequitur singultus & vomitus; in corpore atq; ore violata (al. violato) Eucharistia permanere non potuit; sanctificatus in Domini sanguine potus de pollutis visceribus erupit. Tanta est potestas Domini, tanta maiestas; secreta tenebrarum sub eius luce detecta sunt; sacerdotem Dei nec occulta crimina fefellerunt. hoc circa infantem quae ad loquendum alienum circa se crimine nudum habuit aetatem. At vero ea quae aetate prouecta & in annis adultioribus constituta sacrificantibus nobis obrepit, non cibum, sed gladium sibi fumens, & velut quaedam venena lethalia inter fauces & pectus sanguinem admittens, angit, & anima aestuante concludi postmodum coepit, & pressuram non iam persecutionis sed delicti sui passa, palpitans & tremens concidit. impunitum diu non fuit nec occultum dissimulatum conscientiae crimen; quae fefellerat hominem, Deum sensit ultorem.

6. Et cum quaedam arcam suam, in qua Domini Sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est, ne aude-
ret attingere. Et alius qui & ipse maculatus, sacrificio

crificio à Deo celebrato, partem cum cæteris
 ausus est latenter accipere, Sanctum Domini
 edere, & contrectare nõ potuit, cinerem ferre
 se apertis manibus inuenit. Documento vnus
 ostensum est Dominum recedere, cū negatur;
 nec immerentibus ad salutem prodesse quod
 sumitur, quando gratia salutaris in cinerem,
 sanctitate fugiēte, mutetur. Quàm multi quo-
 tidie pœnitentiam non agentes, nec delicti sui
 conscientiam confitentes, immundis spiriti-
 bus adimplentur? Quàm multi vsq; ad insani-
 am mentis excordes dementiæ furore quati-
 untur? Nec necesse est ire per exitus singulo-
 rum, cum per orbis multiformes ruinas tam
 delictorum pœna sit varia, quàm delinquen-
 tium multitudo numerosa. Vnusquisque cõ-
 sideret non quid alius passus sit, sed quid pati
 & ipse mereatur. Nec euasisse se credat, si eum
 interim pœna distulerit, cum timere plus de-
 beat, quæ sibi Dei iudicis censura seruauit, &c.
 Hucusque S. Cypr.

Marcellinus scribit de Potamone, quod, cū
 à fide Catholica defecisset, & prædio ob egre-
 giam impietatem à Fisco donatus esset, dum
 ad ipsum prædium inuisendum ire festinat
 diuinam mox ultionem in via, obitu repenti-
 no præuentus, exceperit. Addit de Floren-
 tio Episcopo, quod, quia cum Arianis com-
 municasset (licet minime subscripsisset con-
 cilio ipsorum) cum in cõuentu plebis sederet
 in throno suo, repēte diuina virtute in terram
 elisus

8.

NB.

9.

Anno
Chr. 359.

10.

Dirum
suppli.
cium.

elusus sit ac palpitans foras sublatus, at cum vires iterum resumpisset, in thronum regressus eadem quoq; passus sit, & rursus foras ductus, ac tertio deniq; id ipsum obstinatè percontans, tertio elusus, ora distorquens miserè animam exhalavit.

11.
Anno
Chr 362.
li. 10. c. 29.

Elpidium, ex Christiano factum desertorem, tempore Iuliani apostatæ infelicissimi diem extremum clausisse autor est Nicephorus, dum ait, eum bonis omnibus exutum grauesq; ærumnas alias in carcere perpeffum turpiter vitam finisse, execrandum & detestandum ab omnibus iudicatum.

12.

Heronem, qui Episcopus creatus casu quodam ad græcam superstitionem defecerat, subita putrida inuasit ægritudo, quæ totum illius corpus depasta, abominationem eum omnibus reddidit. Quapropter rebus omnibus desperatis in viam est proiectus, nullam profus à quopiam miserationem cōsecutus. Christiani namq;, perinde atq; piaculum, omnibus modis eum auersati sunt. Græci autem hactenus tantum eum, quod se errori & fraudi eorum subiecisset, agnouerunt. Et Heron quidem acerbissimè & miserrimè ita è vita excessit.

13.
Fœda &
miserabilis mors.

Alius autem Theotecnus scilicet quidam & ipse à nostra in Græcam religionem prolapsum, carne eius omni putrida carie consumpta, vermium materia factus est, & oculis illorum moribus amissis, moriens per insani-

am, quæ eum corripuit, sua sibi dentibus confissa & deuorata lingua è grauibus tormentis ad longè deteriores maiorefq; cruciatus migravit. Sed & alij in super talia quoq; ausi digna sceleribus suis tulere supplicia. Eiuscemodi multa eo tempore diuinum numen exhibuit miracula, commeritas iustasq; ab eis qui impudenter & apertè veram pietatem oppugnarunt, pœnas exigens. Hæc Niceph.

Iulianus apostata in bello contra Persas gesto diuinitus occisus, communi etiam caruit sepultura, teste Greg. Naz. in laudibus Athanasij, vbi asserit à terra eum fuisse excussum æstuq; vehementi proiectum, totumq; illud negotium vi numinis esse confectum tradit. Idem (orat. in Iul.) existimat ipsum ministerio angelorum esse percussum, extinctū & oppressum. Ferunt, ait Theodor. ipsum simulac plagam acceperat manum protinus sanguine impleuisse, illumq; proiecisse in aërem, ac dixisse, vicisti Galilææ. Niceph. ait eum exclamasse, Saturare Nazarene. Nota quòd Theodoret. ait, Libanium Sophistam Antiochiæ à Ludimagistro, quo nostram religionem quasi per jocum irrideret, quæsiuisse, quid rerum gerat fabri filius? Ludimagistrum vero respondisse: huius vniuersitatis opifex Deus, quem tu per risum fabri filium nominas, Iuliano loculum fabricatur. Neque multi dies, ait Theod. cum nuncius allatus est de Iuliani morte.

B Astro-

140

Anno
Chr. 363.
Sozom.
lib. 6. c. 2.

li. 3. c. 20.

li. 10. c. 34.

lib. 3. ca. 18.

1.
V. Nicetā
Chron. li.
2. 5. & 7.

IOANNES Galeacius dux Mediolanensis cum ei Astrologus quidam mortem imminentem plane prædiceret, sibi ipsi vero longam vitam polliceretur, hominis ridens stoliditatem, statim strangulari eum iussit.

2.
In Prolo-
mæum de
Astrol.
iud. lib. 1.
text. 14.

Cardanus memoriæ cōmendavit Ludovicum Sfortiam versurum potius quam prudentē & perfidū quā æqui boniq; amantem principem impendiosum quendā astrologi artis imperitissimū aluisse, in quē plus quam centum auri magnā talenta profuderit. Astrologus pro tanta mercede tempus vnicuique negotio inchoando præscribebat, adeo ridiculū vt princeps cogere tur tempestatibus maximis equū conscendere, & cum aulico comitatu stipulatoribus alio migrare per medios imbre per cœnū & lutū, non secus ac si hostiū manuferet. Tā felici euentu, vt, regno tandē à Germanicū Rege spoliatus, captus, in carcerem cōpactus, colapho cœsus, in clathrata ferrea mortuus fuerit, verum fortunę vtriusq; ludibrium

3.
Delrius
lib. 4. disq.
mag. q. 1.
ca. 3. vbi
plura exempla.

Ioan. 21. Pont. Max. (qui ante Petrus Hispanus, auctor Summularum) Medicus, Philosophus, Astrologus, ex stellarū situ & positurā longam sibi vitā in pōtificatu pollicitus coram familiaribus suis, quarto post mense, pontificatus octauo, subito corruente testudine recentis ædificij, Viterbij oppressus interiit, auctoribus Valerio & Stella in vitis Pontificum

Qui

Quidam ex astris prædixerat Anglorum Regem Henricum eius nominis 7. eo anno periturum. Res est ad Regem delata. accersuit hominem verbis honorificis, dissimulans quod rescerat. Rex inter cetera percotatur hominem, num ex astris certa prædici possint? aiebat: nū ipse esset eius artis peritus: annuebat, sperans se tanto pluris habitum iri à Rege. Tum Rex dicitur mihi ubi tu futurus es his festis natalitij, instabat enim natalis Domini, hærebat. Cū urgente Rege negaret se posse certum prædicere, ergo, inquit Rex, ego sum artis peritior quàm tu, nā scio te futurum in turri: sic enim vocant locum munitum Londino imminentem in quo seruantur quos volunt esse in tuto, simulq; innuit ut duceretur. illic ubi satis refrixerat diuinandi calor cum risu dimissus est Eras. de Lingua.

DE AVARIS QVI GRAVISS. DEO
penas dederunt.

ANNO Chr. 1066. (teste Lamberto eius temporis scriptore) Reginherus Misnensis Episcopus post refectionem in cubiculum, ubi thesauros suos, quorum nimis amator erat, nullo cōscio infoderat, quasi paululum requiescere volens sese inclusit: cumq; iā die vergente in vesperam præter modum consuetudinemq; suam sono indulgere videretur, re insolitam mirantes cubicularij pulsare ostium cœperunt, sed nec pulsantibus nec vociferantibus vllum datur

i.
Deus iustus
iudex pro
cuiusq; vi
tæ meritis
stipendia di
gna per
soluit.
Terribilis
in consilijs
super filios
hominum.

B 2 respon-

In ultione
Episcopi
avarissimi
Deus da-
mones car-
nifices pra-
parat.

2.

Anno 1588

Vide Bar.
anno 1662

3.

Taul. Diac.
lib. 18. me-
morat eū
fuisse con-
temptorem
pauperū,
spoliatorē
diuitum,
cumulādx
pecuniae
studiosiss.
ab eadem
eroganda
alienissi-
mum.

4.

responsum. Tandē effractis foribus irru-
pentes inuenerunt eum fractis ceruicibus
lore tetro exanimem ipsis thesauris suis in-
ferabilem in modum incubantem.

Michael ab Iffelt refert (lib. 1. Mercu-
Gello belgici) panes secundarios à quoda-
tenacissimo Euclione prope Rodopolin fi-
no immisos palaq; rursus extractos sang-
nem miraculosē lacrymasse, & paulatim in-
neres resolutos fuisse.

Iustiniano minori (vel Iustino) imp. tan-
fuit cupiditatis rabies, vt arcas (cistasq;) fi-
reas iuberet fieri, & in palatio poni, in quib;
ea quaecunq; rapiebat auri talenta congrega-
ret, ideo improuiso cum morbi signum ni-
lum praecessisset amisso rationis intel-
amens effectus est. Atq; hac imperatoris
sania erat tanta vt vnus idemque dies & vitio
& amentiam tandem finierit. Nam mori
quos principibus Deus immittit non ex
morum intemperie sed ex morum prauitate
ortos, nec medicus vllus curare nec medici-
mentum vllum tollere potest.

Anno Christi 553. Constantinopoli di-
quidam cum ægrotaret mortemque timeret
triginta libras argenti in pauperes erogauit
restitutus autem praeter spem suam bonae
letudini, fraude diaboli eo inductus est vt
cti ipsum poeniteret, hocq; fideli cuidam
amico aperiret. Monet ille hominem ne ha-
malae assentiatur cogitationi, Deumq; irrita-

qui propter istam largitatem miseratus san-
tatem donarit, alioqui fore vt subita morte
nondum mutato facto pereat. Cum non mo-
ueretur ille, sed magis magisq; irritaretur; a-
micus, quando, inquit, salutare cōsiliū non
admittis, aliud tibi subijciam. Poscenti hoc,
verè misericors ille; agedum, ait, ad templum
vade, & non te sed me in pauperes elargitum
pecuniam istam dicito, ipse statim triginta li-
bras reddam. Consentiens infelix ille ad tem-
plum abiit, auroq; accepto ita vt alter præce-
perat locutus est inde egrediens, ad ipsam tē-
pli portam mortuus concidit. Clericis de rei
nouitate stupentibus omnibusq; alijs, qui for-
re aderant, iubentibus alterum pecuniam re-
cipere suam, ille non obtemperauit, sed inter
egenos omnem diuisit, quod diceret, Deum
non pati sannas. Promissa enim, Deo non so-
lum pecuniam, sed & verba voluntatemq; ob-
ligant, & quidquid homo Deo pollicitus fue-
rit id præstare opus habet, virgo virginita-
tem, continens continentiam. hæc Cedrenus.
Ob auaritiã grauib⁹ pœnis diuinitus castigati
sunt, Giezi (4. Reg. 5.) Iudas (Matt. 26. Act. 1.)
Ananias & Sapphira (Act. 5.) Achan (Ios. 7. 1.)
Saul (1. Reg. 15. 20.) Iohel & Abias iudicij
peruersores, (3. Reg. 8.) Achab
cum Iezabel (3.
Reg. 21.)

Auarus in-
firmus pe-
cuniã pau-
peribus di-
stribuit, &
ipsam repe-
tendo cas-
dit mortu-
us.
Vide locū
de impos-
tura.